

X

00

8

№ 4628 *

68

1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37
38
39
40
41
42
43
44
45
46
47
48
49
50
51
52
53
54
55
56
57
58
59
60
61
62
63
64
65
66
67
68
69
70
71
72
73
74
75
76
77
78
79
80
81
82
83
84
85
86
87
88
89
90
91
92
93
94
95
96
97
98
99
100



- 1 Moeßel de sono
- 2 Gerhart de admirandis soni.
- 3 Boecler de sono
- 4 Hardt dubium physicum de sono.
- 5 Kirchmajer de viribus toni consoni.
- 6 Schmid surdus de sono judicans
- 7 Muller de taba Pentorea (Syrax-Ros)
- 8 Hase de _____
- 9 Weidling de odore
- 10 Werner de saporibus
- 11 Helwig de calido et frigido
- 12 Hoffmann de calore luce et flamma
- 13 Hardt dubium physicū circa calorem ignis.
- 14 Mirus an et quomodo sol calefaciat.
- 15 Richter de sole, quod non sit causa caloris.
- 16 Jemisch de sole hyeme propiore, minus calefaciente
- 17 Bernard de causis caloris aestivi.
- 18 Hamberger de frigore
- 19 Hannemann de frigore hyemis 1709
- 20 Winter de glacie artificiali.
- 21 Pistorii Ornithogamellion.
- 22 Faselt de primo avium ortu.
- 23 Grözmann de avibus paradisiacis.

- 24 Zingox de aquila rege avium.
- 25 Frommoum de anser Martimano.
- 26 Pratorius non d. b. Storff. Hnter. Anardis
- 27 f²rito de arboreo anser, ave Britannica
- 28 Thomafius (Jac) non d. b. Simalbr. Hnter. Anardis
- 29 Ortlöb de praefagus locustarum
- 30 Paulini de locustis insolitis
- 31 Hollarfangt _____
- 32 Gebenstret _____
- 33 Crellius _____
- 34 Gebenstret de remediis adversus locustas.
- 35 Mæller de melle
- 36 Lyser de cetis
- 37 Treuner de phaenomenis. locustarum.
- 38 Hartmann de phoca s. vitulo marino.
- 39 Phoca anatome
- 40 Observations sur un grand poisson disequé
- 41 Observations sur un lion disequé.
- 42 Tycho monoceros piscis
- 43 Hartmann de gladio
- 44 Hannemann de pisce torpedine
- 45 _____ de ostreis Holsaticiis
- 46 Möimichen de generatione et vita

47

MONOCEROS
PISCIS
HAUD MONOCEROS,

ad veram formam nuperi è mari Gronlandico Hospitis
depictus & descriptus.

Sternet huic viam, qui
Deo duce, comite Amplisf. Fac. Philos. favore
ad d. 21. Dec. MDCC VI. amicis *Φιλολογωντων* telis
exponendus,

Prologus Historico-Criticus.

Exponet

TYCHO L. TYCHONIUS,

Defendet Nobilissimus & clarissimæ spei Juvenis
JUSTUS HENRICUS WEICHHART.



№ 4661 *

HAVNIÆ, Ex Reg. Majest. & Universit. Typographéo.

MONOCEROS
PISCIS
HABD MON
Imprimatur,
C. BARTHOLIN.

LB!

Dedisse verba vel dicas fortè vel existimes dum pro
justâ Dissertatione Prologum; i. e. pro Re ipsa Titu-
lum Rei, pro Junone vix umbram. At ne quid
præcipites, rem paucis accipe. Non licuit per leges, quæ
pagellas numerant nobis, hac vice plures. Maluimus
ergo justum dare Prologum, i. e. talem, quæ & Rem
ipsam oculis & menti adumbraret, & ipsi Dissertationi
& Spei forsitan tuæ congruum. His Te in Vestibulo
volui. Nunc atrium ingredi & præfantem avdi
Prologum.



A ζ Ω.

Prologus.

Peregrinamur domi! at peregrinatione quid magis molestum? quid honestum minus domesticâ illâ? Ignota Arctos, sed Arctois, qui semet dum extra se quærent (quid mirum) non inveniunt. At noli Te sic, Arctos, quærerere! tecum habita! te mirare & tua, quæ, si te exceperis, cæterus miratur orbis. Vide (quod te monuit olim gravissimè Augustus tuus verè Augustus (a) Regum verè Nestor) VIDE, inquam, MIRA DOMI! Remitte quæ misit spectacula sæpe non sua vel ater Afer vel tostus Sole Indus, aut certè tua tibi missa sumtis vel tandem paropiis agnosce. At quorsum hæc, mi Prologe! tam altè repetita? Tribus rem verbis ambage liberam eloquere! & ecce illa! Monocerotem domi invenimus quæsitum foris sed frustra ferè, Qualem
A verò

(a) *Cusâ moneta ex auro Norvag. elegantissimâ cum hac Epigramme & perspicillis, Ao. 1647. vid. Mus. Reg. perillust. Jacobæi p. 86. tab. 24. meminuit etiam hujus Th. Barth, de Med. Danor. pag. ult.*

verò illum? **Monocerotem** haud-**Mo-**
cerotem, immò verò **Bidentem**. Fortem
 verò te Prologe! militem, Lector ais, qvi tuo jam telo
 periisti cùm sonare vix classicum incepit. Egregium
 Athletam, qvi cum aptiorem jugulo vel vicinum ma-
 gis non invenisti, *σιδηροξύλων ἀντιλογίας* propriæ mucro-
 ne ipso in limine bellator cadis inglorius. Sed absit o-
 men! Non petimus jugulum, nec perimus. **MONOCE-**
ROTEM damus sed aliorum, sed falsò vel suspensò ad
 minimum penicillo, **BIDENTEM** damus, sed nostrum
 sed verò & confidenti adumbratum. At adumbrarunt jam
 & pinxerunt (nisi finxisse dicas) tot Veteres Autores, (b)
 tot Novi (c), & illorum quidem tot Pagani, tot Christiani,
 tot Patres; horum verò tot Lexicographi, Commentato-
 res, Critici, Interpretes, & (quod servum pecus dixit acutè
 nonnemo) Imitatores tot Postillatores; tot deniq;
 Hodœperici, Geographi, Medici, Pharmacopœi,
 Mythologi, Poëtæ, Pictores, varii, summæ classis viri
 & mediæ, quin & infimæ caveæ; ut adeo de relegandis
 in Patriam Monocerotis plurimis jam scriptorum plu-
 stris, immò de proferibendo, qvi Autoribus tot mo-
 tuum & factionum autor fuit, Monocerote cogitare seriò
 dudum cœperit Eruditorum chorus. Quidni ergo peri-
 turæ nos chartæ parcimus, cujus nec plagula suffecerit
 nume-

(b) *Arabes illi, Hebræi, Græci, Latini, Alcam, Damir &c. Rab-*
bini; Ælianus, Ctesias, Oppianus, Phile, Svidas &c. Pli-
nus, Solinus &c. (c) *Danos putà, Germanos, Belgas,*
Gallos, Italos, Lusitanos.

numerandis, quæ aut sequimur nos aut non sequimur vestigiis? quid ebur illud hoc atramento nostro candefacimus? Quid post libratos Atlanteis humeris hos montes, tumulos & monticulos movemus pumili non promovemus? Jocum an stomachum Jovi cuidam moturî forsan & mordaci mersum aceto dicterium:

Nunc meus in tenui luditur arte labor.

Quis vero post tot Albertos Magnos (c) & majores his Aldrovandos (d) Gesneros (e) Jonstonos (f) Rondeletios (ff) & c. quide quadrupedibus & piscibus ex professo, nec aliud agentes egere? quis post tot Bartholinos, Bochartos, Wormios (& quanta Nomina ne Numina dicam!) de his vel gry vel my? quis verò tam iniquus & in spes publicas impius, ut leviculâ quadam scriptiunculâ culpandæ curæ, curiosæve culpæ vel rea vel sanè suspectâ curas illas grandes vastorum de Cornibus & Cornutis Commentariorû (g) quorum desiderio fatiscimus, intempestivô plane ausu anticiparet? præcipuè cum è Sciagraphia dudum publicata singularem in his titulum Monoceroti datam constet. Equidè Camcenam in hoc Pindo nostram nonam esse novimus vel nullam: nec diffitemur nobis chalybem alios, alios filicem humanissimè porrexissè Magistros vel vivos vel

A 2

mor-

(c) *Alb. Magni Thierbuch scriptus fuit circa A. 1269, Germ. ed. 1534.*

(d) *vid. Aldr. Vastiff. Histor. Anim. tomos. (e) Hist. anim. & c.*


Tig. 1551. (f) Hist. Jonstoni Naturalis cum elegantiss. fig. prodit Franc. 1650. (ff) Scripsit de Piscib. optimè Rondel. Lugd. 1554.

(g) *Nobilissimi & Celeberrimi Thomæ Broderi Bircherodii Professoris Orbiniiani dignissimi.*

mortuos, unde suas fomes hic noster stricturas habet. Grati vero agnoscimus potius, qui nihil magis quam ingrati crimen animi horremus; quod si nec his stricturis ignitus satis fomes, si fumigent accensæ tædæ ellychnia, age mi Prologe! Lectorem, exstingvat, roga! eat in tabernam charta, thus vestiat! nemo huic nobis durior futurus. Sit integrum hoc nobis interim dicere in rem nostram. Tactam hic tetigisse nos chordam aut nullam aut leviter ab aliis tactam. Dixerint ergo de Monocerote Quadrupede alii, & dixerunt sanè præter Excellentiss. D. C. Barth. Sen. (h) sexcenti, nos etiam & quidem data jam opera de Pisce. Dixerint nonnulli de pisce cornuto, ceu putarunt; & dixit Tulpus & alii. Nos de dentato. Dixerint de Pisce dentato: & dixerunt sanè præter alios magni litteratæ Arctus Duum-viri, ipsi Naturæ qui à Consiliis fuere intimis, O. Wormius (i) & Th. Bartholinus, cujus ultimi de Unicornu Observationes Novas (k) maximi Parentis haud minor Filius, Musarum illud Celeberrimum nunc oraculum, auxit & auctas ultimò edidit (l); at opposuit in nonnullis impunè hætenus his Monocerologiam suam D. Sachsus (m) cui ergo nonnulla reponet tandem caput Dissertationis hujus tertium. Torfæus quoque Historiographus jam Regius celeberrimus, lumen Historiæ Patriæ, Gronland, antiqv. hoc anno edit. c. 12. pag. 95. è Speculo Regali Islandico (*). Dixerint verò hi de Dentatis piscibus, nos de Bidenti; & dixerit tandem de Bidenti Phil,

(h) peculiari de unicornu tractatu, Hafn. 1628. (i) in Museo suo Amster. 1655. edito. (k) Patavii editas Ao. 1645. (l) Amst. 1678. (m) edit. Raceburgi Ao. 1676. (*) cui rectius ni fallor, Narhval quàm aliis Narhval dictus hic piscis, à cadaveribus scil.

Phil. Zesen (n) metrô Germanicô breuiusculo monstrum illud (uti vocat) binis instructum dentibus Hamburgo suo gratulatus; meminere ejusdem Perillustri Jacobæus & succinctâ narratiuncula (o) indice qf. digito monstraverit; nemo tamen diductius vel de isto dixit vel de Pisce Bidente nostro, qui hac æstate Hafniam nostram advectus, merx optatissima navis Nobilissimi Petri Klouman, qui à Commerciorum Consiliis Regi. Nemo censui monstrorum, quibus accensuit non-nemo, sed satis monstrôsè, exemit. Hic ergo Rhodus nobis, hic saltus! Hujus hic Piscis ideam offerimus calamo qualicumq; nostro, & cælô quàm fieri potuit accuratissimô delineatam.



Hospitem ergo vidisti nostrum! Gronlandicum si
dicas

(n) Autor etiam procul dubio pagella, quâ cum icone Descriptio
piscis illius exhibetur. (o) in Mus. Regio p. 14.

dicas, quòd è mari, quò Gronlandia alluitur, huc appulerit (*) non refragabimur. At Hippolytum fortè vocabis, sparsum membris scilicet: neq; hoc suo quidem sensu ineptum: talem nos tamen oportuit dare; quia talis hac ætate ad nos venit, quia talis augustissimum Musei Regii hospitium subiturus his ipsis diebus novo decorabit spectaculo: quia integrum dare illum nobis hac vice non est integrum. Nondum scilicet qui integrum non vidimus unquam, accuratam nobis adeo, uti par esset, figuram piscis obtulisse rumores confidimus: potius ergo nullam nunc dabimus, daturi tamen, quòd stipulamur, ultimo dissertationis hujus capite, quò ex instituto quoq; nostro illa propriè pertinet icon; nec dedissemus hic exhibendam Prologo, nisi Te L B! suspensum, exspectando rem ipsam, quæ calcar dedit currenti jam calamo, nollemus, & condonaturum facile hoc, si quid est, peccatilli vel tuis oculis vel nobis speraremus. Videat interim qui velit figuram cadaveris à Batavis ad Majam insulam oceani Septentrionalis inventi Ao. 1649. Exhibet hanc Tulpius (p) cui similiorem tali non vidimus, qualem pisci nostræ formam fuisse narrante hæctenus famâ accepimus. Hujus vero sparsa nunc membra collige, immo Te dum spectas.

Indicat numerus (1) *Caput Piscis duplici Dente armatum.*
Indicat (3) *Dentem minorem illum, qui maxilla fixus inhaesit.*
Latuit is adhuc, cum adveheretur piscis, nec visus ulli prius, quàm findenti (q) caput ipsamq; maxillam fran-

(*) *vel cum ipsis Gronlandis Turacta. Sic n. hospites H. Mulleri femina Gronl. sibi dictam Celeb. Casp. Bartholino Jun. retulere.*
(p) *in Observ. Med. pag. 376. (q) fissum caput indicat numerus tabellæ (2.)*

frangenti. Nunc foramini, quod aperturus sibi fuisset ipse, si superesse licuisset pisci, pertusâ cute insertus spectatoribus patet oculis, a socio dente nisi mole non diversus. Eadem natura, eadem forma & figura, eadem striarum series & torno quasi ducta lenissimo, in cuspidem surgens (nodulo tamen vel tuberculo finitam) pyramis. Nec ovo magis ovum simile, quam huic officulum vel, si mavis, denticulus ille, quem in cimeliarcho Monarchæ nostri his oculis usurpavi, ne utiqvam confundendus cum ossibus istis è Balænarum capitibus, quæ satis ponderosa pugnâq; humanum maximum æquantia ibidem servantur, descripta in Mus. Reg. (q) Alterum certè si videris, ambos videris; dubiumq; videnti erit, utrius heic figuram nos dederimus: ut suspicari adeò immò statuere liceat, è Pisce huic nostro simili denticulum etiam illum esse. Is verò quando allatus, nec suspicari licet, nec statuere hac de re quicquam magis audemus, quàm de tempore allatarum illuc Sirenis manuum, (r) Pinnis Piscis nostri aut similibus nimis, aut cum iisdem specie earundem. Indicant has Pinnas Numeri (5) & (6) Dextram nempe & Sinistram; hanc aduersam, illam averfam, coriaceâ sua, qua latent thecâ, colore sublividâ, tectas adhuc ambas; an evaginandas propediem dicamus, vix constat. Nos certè alteri, aut utriq; cultrum, (quod uni-

(q) p. 15. ubi conjicit perillustris Autor in capite balena hæc nasci quemadmodum in piscibus aliis, carpionibus asellis &c. concretiones generantur lapideæ. (r) de quibus locò eodè Mus. Reg.

unicum restat) Anatomicum seriò optamus, qualem Phocænæ vel Delphini septentrionalis pinnæ Ao. 1671. commodavit Dan. Major (s) vel qualem oblatae sibi pinnæ, quamè Pisce Hamburgum Ao. 1669. allato possedit, adhibuit satis curiosum Sachsius. Depictum sceleton & descriptum vide Monocerolog. cap. 5. (t) tam affabrè (ut verbis illius utar) à naturâ formatam, ut jurares sceleton potius humanæ manûs, quam marinæ pinnæ offerri. Quin aliquid hinc uberioris quoq; lucis obscuræ satis de Sirenibus quæstiunculæ forsan affulgebit; licet hanc luculenter jam enodaverit Summus Vir, triste nunc Orbis Arctoi & Phœbei totius desiderium Th. Bartholinus (u) qui figuram quoq; manus simul cum costa Sirenis exhibet. Sed quò dilabimur? Ad nos redeamus & Piscem nostrum. Restant figuræ tres. Quam Numerus (2) signat, *situm exhibet dentium*, qualis dissecto primùm capite adparuit. *Caudam* numerus (4) *Genitale* piscis (7) indicat. Mensuram singularum partium, ut chartæ parceremus, ære compendiosò dedimus; apposita nempe pedis Danici scalâ, ad quam exacta hic omnia. Si ulteriori vacare liceret descriptioni, dicendorum unum illud nunc diceremus, glaucoma sibi objectum objicere nobis, qui cornutum quidem hunc piscem volunt marem, non vero cornutam scemellam. Inter quos Scriptor Gallus Martiniere (x). Nos verò neu-

(s) ut docent me *Miscellanea curiosa Medico-Phys.* l. 4. p. 25.
 (t) pag. 79. & seq. vide quoq; tabellam adjunctam. (u) *Hist. Anatom.* c. 2. (x) *In Itinerario Boreali* c. 36.

neutrū quidem cornutum cupimus, dentatum affirmamus utrumq̄. De mare in confesso res, etiam si ante hunc nostrum nullum quis vidisset. De fœminâ verò si sollicitus sit Dn. Martin. Hamburgum eat, quærat de bidenti pisce Ao. 1684. capto; nec verò se rideat, si exemptum utero bidentis fœminæ, quem tabella & calamus Ph. von Zesen offert, fœtum vel monstrent Hamburgenses vel ipsum ad Possessorem nunc, ut audio, Principem Germanum ablegant. Vicem verò tuam mi Sachsi!(y) dolemus, quod annum, quo scripsisti, is est elapsi seculi 76. non anteverterit annus jam dictus; nam supersedere tunc, nî fallor, assertioni potuisses tuæ: phocænum Monocerotis marini fœmellam esse, & cornu destitutum esse, quare? quia fœmellam! quare hoc? quia fœmellæ cervorum carent cornibus! at carent hæc sale! Enimvero! quis ferat? quis in contumeliam credat ipsius quoq̄ naturæ & Experientiæ, omnium (hîc verò nullam vidimus) rationum quoq̄ victrici invictissimæ.

Stravimus nunc igitur arenam, dum substratam reciprocandæ nobis ferræ materiem, dum datam calamo scribendi occasionem indicavimus. Jamq̄ stratam ingrediamur! quam quidem cum nutu non nostro, (*) sed qui pro jussu erat eritq̄, ingredi primò meditaremur, opportune forsan in schedas aliquot nostras incidimus,

B


nocte

(y) cit ande nobis iterum è pag. Monocerot. pag. 79. (*) nec enim exciderat vel excidet promissi memoria, quo Migrantium in Arcton nostram Musarum Hodœpericon daturos semel recepimus,

nocte equidem jam suâ sepultas, æternæ destinatas. Revolvimus; spicas in iis aliquot post tot messorum tantæ messis reliquias invenimus, inventas excutimus, excussas nunc, ne publico nudam planè hanc Venerem, damus. Et visa quidem opellâ res dignissima, quam vindicandis tum Scriptorum aliorum variis, tum illis Scripturæ Sacræ locis destinavimus, quibus abusi non modò ante, sed etiam post Clariss. Bochartum (z), qui acerrimus horum vindex fuit, abutuntur in rem suam Monocerotis quadrupedis Patroni; ad quorum etiam obtutum velut objectâ Gorgone (nisi Chimæram dixeris; talis nempe Scripturæ Monoceros!) rigere quasi vidimus & videmus non è trivio solum vulgus sed summos in utraq; Re, Litterarum & Ecclesiæ, publica Heroas, sacro veluti horrore quodam & Panicò perculosos.

Utut enim mirari non adeò subeat Autorem recentis adhuc scripti (a) Germanici, qui cum quæstionum centuriæ primæ suæ hanc unam esse voluerit: An dentur hodie Monocetotes? nusquam frigidius quàm ubi ad Monumenta sacra ventum fuerit, decidit; ut Autorem quoq; Dissertationis (b) de unicornu sub præsid. Clariss. Frenzelii habitæ vix nominemus, cui vix nominanti Clariss. Bochartum (congressum forte verito tam fortis Achilles) argumentum est vel inter prima primum, *inferendum sic sacris piaculum*; at quid in mentem venisse pu-

(z) *cujus tamen onager an verus sit Scriptura* ON, postea nobis videndum, quod obiter nunc monemus. (a) titulo *des Gelehrten Critici superbientis*, edit. Lips. Ao. 1704, vid. p. 873. part. 1. (b) *Witteb.* Ao. 1679.

putandum, post alios, Celeberrimo (c) Opitio (& quantum illud in Lexicographis Nomen!) cui Hebræum  cum cognatis ubiq; monoceros vel unicornu est? quid accidisse credendum, magno illi Ezechieli Spanhemio (d)? cui nos deberi totos infra fatebimur, quòd Asyla Monoceroti Nummophylacia quædam clausurrit. Etiam is ad *priscam sacrorum librorum fidem & grave illud* (sic scilicet gravissimo Viro audit) τᾶν LXX-*Duum Virum* (e) hac in causa *testimonium* stupet. Quàm verò misere se torquet Schottus (f) Veritati quidem Divinæ, quam veritati humanæ contrariam invenisse putat, succumbens? Quàm torquent & nobile verum & se Viri etiam his jam nominatis majores, quorum nos nominibus vel parcimus vel supersedemus hic recensendis. Hæc verò cum, quâ sacram paginam, justissima sit quærela; non justior tamen hæc illâ, quâ abusum hic futurum & illata (sit venia verbo) stupra quærentur adulterata Rei nummariæ Sacra. Alia impræsentiarum tacitus scio, sciens taceo.

Certè mea vos Numina! Patres Cæpti mei! remissus (grave dictu, sed dicendum tamen!) remissus hic rigor iudicii vestri eò me adegit, ut in apertâ causâ & re

(c) in *Lexico Hebræo Chald. Bibl. Lipsiæ 1692.* (d) *vid. Dissert. hujus cap. 3. de præstantia & usu numism. antiqui Amst. 1671.* (e) quos quidem si aliquis non tam deceptos hic quam deceptores dixerit, nihil equidem abs re vel jure: hi quippe has ad aras stabulari monocerota primo ferè viderunt vel se volunt vidisse. (f) *Phys. Curios.*

re judicatâ litem pendere tamen fatendum fit. Si pendeat verò, liceat pace jam vestrà contestari! liceat Actu quasi Interlocutorio, si secum Icti ita me loqui velint, testium & hunc & illum & istum hæc ad subfella fori infimi (nostrum id est) audiendos sistere, quos avditos jam prius oportuit & examinatos seriò, quàm ad tribunal (vestrum id est) supremum provocaretur. Sistemus verò nunc illos, si permiseritis, nullo equidem observatò, quâ dignitatem ordine; turbabit nempe hos nobis circulos prius nihil, nihil posterius: at hõc tamen; ut ordine constet, quàm *constent sibi Testes*, vel potius quàm non constent; immò verò, quàm Verum sibi constet, quàm non constet Falsum; immò verò quàm Rubrica sibi nostra constet, cujus ad normam capite

I. MONOCEROTEM dabimus. II. PISCEM.
III. HAUD-MONOCEROTEM.

Quærendus interim nobis in Museis Monoceros, in Nummophylaciis deinde, in Heraldica, in Historia Profana & tandem Sacra, in ipso Oceano & hoc tandem Gronlandico. Inveniendus, ubi ubi fit, vel Monoceros vel Haud-Monoceros; vel Quadrupes vel Piscis, vel Cornutus vel dentatus, vel Uno minax dente vel Duplo. Minacem verò Theonem hic nos dentatum verebimur? Quid juverit? Speramus potius; cornutum verò deprecamur. Da facilem Te, quod facis, LB! si benevolus: Nos interim, Deo dante successum, res dabimus non verba.


CAP.

Parerga.

1. **M**asculus cum sit Monoceros noster, iniquos
nimium Grammaticulos! qui à Regula Nomi-
num Masculinorum in *os* ad Exceptiunculam
Neutram relegant; nec vel vi vocis tutos vel Auto-
ritate se putent.
2. Si dentur Pisces subterranei, de quibus v. Voss. de Idol.
4, 4. pag. 7. quid mirum si dentes piscium? quid
mirum si unicornu fossile?
3. Unicornu verum vendunt & quidem juxta taxam si-
bi Ao. 1672. præscript. carè satis vendunt Pharmacopœi
nostri, 3 sc. solid. 10. Dan. sed carius falsum alii, quia
fumum & fucum non unicornu.
4. Arsenicum non est venenum; frustra ergo alexi-
pharmaca culpaveris huic frustra opposita.
5. Rectè P. Hermannus (Lap. Lyd. Medicam. simpli-
cium à Welschio Ao. 1703. edit. p. 47.) unicornu
verum seu marinum inter partes animalium sale vo-
latili oleoso gavdentes, adeoq; inter sudorifera nu-
merat.
6. Quantò magis ætate tantò minus virtute medicâ
pollent dentes piscis unicornu (ceu vocant) nostri:
hinc lis illa fortasse, quæ sub judice adhuc est, de
virtute hujus: quis nempe hic Lynceus?
7. Non-

7. Nondum abuti noverant titulis, cum *clarissimi* soli erant Viri Senatoria dignitate clari, & horum *maritæ clarissima*.
8. VIA in Latium Commenii avia est; nec Scioppii optima nec Vogelii, nec Seidelii, nec nuperrima Pauli Freund hōc annō etiam monstrata publico.
9. Nec via ducit eò tutissimè quæ brevissima, nec longissimè quæ tutissima.
10. Felicissimos loci Martialis *de Rhinocerotis gemino cornu*, non Uri, quem pro urso substituunt Commentatores! si Museum Regium vel ipsum Monarchæ nostri, vel calamō pictum perillustri Jacobæi oculis saltem fugitivis fuissent emensi: & utinam vel tale vidisset Bochartus, quæle ibi spectatur, vel quæle Schwammerdamii depingitur à Th. Barthol.
11. Equidem credimus D. Augusto Hauptmanno (in lib. Germ. sub. tit. *Bergbedencken* Lips. 1658.) nec Diabolo nec Angelo possibile esse *vacuum* aliquod efficere, at credimus tamen (quod is negare intendit) Deum effecisse; idquæ tot experimentis, quot ille præjudiciis, credimus.
12. Angvillas inter amphibia qui ponit, rectè ponit.
13. Regum Danorum nec Christianus Primus *Haraldus Klakius*, nec Orthodoxorum *Christianus Tertius*,





01 A 6646

ULB Halle
003 090 442


3




✓ 17

ReHo ✓







47

MONOCEROS
PISCIS
HAUD MONOCEROS,
ad veram formam nuperi è mari Gronlandico Hospitis
depictus & descriptus.

Sternet huic viam, qui
Deo duce, comite Amplisf. Fac. Philos. favore
ad d. 21. Dec. MDCCVI. amicis *Φιλολογωντων* telis
exponendus,

Prologus Historico-Criticus.

Exponet

TYCHO L. TYCHONIUS,
Defendet Nobilissimus & clarissima spei Juvenis
JUSTUS HENRICUS WEICHHART.



N^o 4661 *

HAVNIÆ, Ex Reg. Majest. & Universit. Typographéo.